



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Quantò quis maior, tantò debet esse humilior: sed sola meretur gratiam
humilitas læta: cuius est triplex differentia, ac de humilitate cognitionis.
Cap. LXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

humilitatem, sicut patientia ad pacem, & sicut lectio ad scientiam. Si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugas humiliatiōnis. Sicut autem prima via diligenter est obsequenda & expetenda per orationes, sic secunda per exercitationes: & vtrunque simul multo melius. Denique, quantum ad vtranque naturam homo secum fert magnam humiliatiōnis causam. Nam inter substantias spirituales anima tenet in summo gradum & locum: inter quas natura diuina supremū, & Angelica medium gradum obtinet: & non solum ex infimo elemento, sed etiam ex terræ limo corpus formatum est, vt nunquam sapere præsumat nisi infima, id est, humilia. Dicitur enim humilis, quasi humi accliuus, id est, inis inhaerens. Est tamen, vt dicitur in Ecclesiastico, qui nequiter se humiliat, scilicet tantum exterius, non interiorius, vbi proprie residet humilitas in affectu: & interiora eius, scilicet intentio & desiderium, plena sunt dolo, scilicet simulata nequitia & hypocrisis. De qua dicit Bernardus: *Hypocrita, eijce trabem de oculo tuo, vt videas.* Trabes in oculo, grandis est superbia, quæ quadam sua corpulentia vana, non sana; tumida, non solida, mentis oculum obscurat, veritatem obumbrat, ita vt si tuam occupauerit mentem, iam te talem qualis es, vel qualis esse potes, sentire non possis: sed talem te ames, qualem esse te putas, vel fore speras. Amor enim, sicut & odium, nescit veritatis iudicium. Sed huic dicitur: *Quid superbis terra & cinis?* Ideo consilio beati Hieronymi, in epistola ad Celantiam, humilitate sequere, non quæ ostenditur atque simulatur gestu corporis, ac ficta voce verborū; sed quæ puro cordis affectu exprimitur. Aliud est enim virtutem habere, aliud virtutis similitudinem. Illa multo deformior est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim quomodo turpiora sunt vitia, cum virtutum specie celantur.

Quantò quis maior, tantò debet esse humilior: sed sola meretur gratiam humilitas letæ: cuius est triplex differentia, ac de humilitate cognitionis. Cap. LXVIII.

Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus est humilis herba, pectoris purgatiua, vt manifestum sit humilitatem nardi nomine designari: cuius odor & decor gratiam inuenit apud Deum. Nimirum cum, secundum Augustinū, nihil nos Deo sic gratos efficit, sicut humilitas. Ideo consulit Abbas Ephrem, dicens: *Fili præ omnibus humilitati stude, quod est omnium virtutum*

St tum

Humiliati-
onis cause.

Humilis
quid.
Ecccl. 19.

Lucæ 6.

Ecccl. 10.

tum sublimius, ut ad perfectionis fastigium cōscendere possis. Vir hu-
 milis Deo similis est, & templo pectoris sui gestat eum. Nec, secun-
 dum Bernardum, est vlla splendidior gemma in omni præcipue or-
 nata Pontificis, quàm humilitas: quæ si amittitur, virtutum congre-
 gatio non nisi ruina est. Hinc dicitur in Ecclesiastico: *Quanto magnus*
 Eccl. 3. *es, humiliare te in omnibus, & coram Deo gratiam inuenies;* quasi diceret:
 Secundum gradum magnitudinis in generis nobilitate, scientiæ subli-
 mitate, honoris dignitate, vel vitæ sanctitate; gradus erit humilita-
 tis. Nec dicitur maior, sed *magnus*, eò quòd omnis comparatio maio-
 ritatis, scrupulum habet suspicionis & cōtentionis, ut patet apud Lu-
 Luca: 22. *carum: Facta est contentio, quis eorum videretur maior.* Humilia, inquit,
 te, ut humilitas sit voluntaria; non coacta; & ab aliquo intrinseco, nō
 extrinseco. De qua humilitate dicit Bernardus: Est autem humilis, qui
 Psa. 118. *conuertit humiliationem in humilitatem.* Et hic dicere potest Deo:
Bonum mihi, quia humiliasti me. Nulli enim quod patienter fert, bonū
 est, sed molestum. Scimus autem quòd *hilarem datorem diligit Deus.*
 Hinc *cum* ieiunamus, iubemur vngere caput nostrum, lavare faciem,
 Psa. 118. *ut opus bonum gaudio spirituali condiatur, & holocaustum nostrum*
 2 Cor. 9. *pingue fiat.* Unde sola gratiam meretur laeta humilitas & absoluta, nō
 Match. 6. *extorta, non coacta, qualis est in viro patiente, qui possidet animam*
 Psa. 19. *sua.* Hæc enim etiam vitam obtinet propter patientiam, tamen pro-
 pter tristitiam non habebit gratiam: Non enim sponte humiliatur,
 2 Cor. 12. *nec libenter, quamvis patienter. Libenter, inquit, Apostolus, gloriabor*
in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi, id est, virtus hu-
 militatis; ostendens omnino non sufficere, quòd animam suam possi-
 deat, tanquam patienter humiliatus, nisi & gratiam accipiat, tãquam
 Luca: 14. *sponte humiliatus.* Non ergo qui humiliatur, sed *qui sponte se humiliat,*
exaltabitur: & hoc ob meritum voluntatis. Et idem iterum dicit de
 Semei maledicente David: Nunquid in ore blasphemi est Deus, ut diceret
 David, Dominus misit illū ad maledicendū David? Absit. Sed eo
 2 Reg. 16. *usus est ad humiliandum David, qui dicit Domino: Bonum mihi, quia hu-*
 Psa. 118. *miilasti me, ut discam iustificationes tuas.* Vides, quia nos humilitas iu-
 stificat, non autem humiliatio? Nam multi humiliantur, qui humi-
 les non sũnt. Quidam humiliantur cum rancore, & rei sũnt: quidam
 patienter, & innoxij sũnt: quidam libenter, & iusti sũnt. Quamvis enim
 innocencia portio iustitiæ est, tamen eius cōsummatio apud humilem
 est. Qui autem dicere potest: *Bonum mihi, quia humiliasti me,* is verè hu-
 milis.

millis est. Hoc enim non potest dicere qui inuitus tolerat, & minus qui murmurat, ac neutri promittitur gratia quod humiliatur: quia non humiliatis, sed *humilibus Deus dat gratiam*. Hæc Bernardus. Hanc igitur humilitatis virtutem summo complectamur amore, summo prosequamur desiderio, utpote quæ sola conferre nouit requiem animabus nostris, dicente Domino: *Discite à me, quia mitis sum*, scilicet in exteriori ostensione, & *humilis corde*, scilicet, in interiori affectione: & *inuenietis requiem animabus vestris*. Nam qui student non alta sapere, sed *humilibus* consentire, nullam inueniunt resistantiam. Non enim resistit humilis, quia humile: inter se non faciunt disconuenientiam: nec superbus, quia cum humili habet, quod quærit, scilicet super alios apparere.

Hæc igitur humilitas triplici differentia distinguitur. Est enim humilitas quædam cognitionis, quædam exhibitionis, & quædam affectionis. Humilitas cognitionis (secundum Bernardum) est virtus, quæ quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit, ita quod ex recognitione propriorum defectuum de se non præsumit, sed in infimis se tenet, ex hoc perueniens ad quandam displicentiam tam peccati, quam sui. Unde Richardus de sancto Victore, ponit inter humilitatem cognitionis & exhibitionis differentiam, dicens: Humilitas est virtus, quæ quis sibi ipsi vilescit interius coram oculis Dei. Humiliatio verò, vel humilitas exhibitionis, est virtutis humilitatis effectus, quo quisque abiicit seipsum exterius in oculis proximi. Aliud enim est humile esse, aliud est humilem se habere. Illud pertinet ad disciplinam mentis, istud ad disciplinam corporis. Illud est humilitatis, istud humiliatio- nis. Quomodo verò peruenire debeamus ad hanc humilitatem, ostendit in Moralibus libro nono cap. decimosextimo Gregorius dicens: Plerumque si scimus bona quæ agimus, ad elationem ducimur: si nescimus, minimè seruamus. Quis enim audita virtutis suæ conscientia, non quantulumcunque superbiat? Aut quis rursus bonum in se custodiat quod ignorat? Sed contra utrumque quid superest, nisi ut recta quæ agimus, sciendo nesciamus, ut hæc & recta æstimemus & minima, quatenus ad custodiam sui sic sentiat animus conscientiam rectitudinis, ut in tumorem non eleuet humilitas æstimationis? Et quamuis humilia de se sentiat animus iustorum, ea tamen quæ agunt quomodo sint recta conspiciunt, sed de eorum rectitudine non præsumunt. Ille verò Deo verâ oratione exhibet, qui seipsum, quia pulvis sit, humiliter videt, qui nil virtutis sibi tribuit, qui bona quæ agit de misericordia

conditoris esse cognoscit. Sed, ut dicit Bernardus, magna & rara virtus est, ut magna licet operantem magnum te nescias, & manifestam omnibus tuam te solum sanctitatem latere, mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico. Fidelis reuera famulus es, si de multa gloria Domini tui, & si non exente exte, tamen transeunte per te, nil tuis manibus adherere contingat. Tunc (iuxta Prophetam) proiicias *auaritiam* ex corde, & excutis manum tuam *ab omni munere*. Et tua lux lucet *coram hominibus*, ad glorificandum non te, sed *Patrem tuum, qui in calis est*. Hæc ille. Vides, quia sicut superbia mentis oculum obscurat, & veritatem obumbrat, sic humilitas e contra mentis oculum illuminat, & in veritate propria cognitionis confirmat? Hinc dicit D. Bernardus super illud: *Ego sum via, veritas, & vita*: Viam dicit humilitatem, quæ ducit ad veritatem. *Confiteor* (inquit) *tibi Pater, Domine cali & terre, quia abscondisti hæc, scilicet secreta veritatis, a sapientibus & prudentibus, id est, superbis, & reuelasti ea paruulis, id est, humilibus*: quia veritas, quæ superbis absconditur, humilibus reuelatur, & in culmine humilitatis constituit cognitionem veritatis. Bona via humilitas, qua veritas inquiritur, charitas acquiritur, generationes sapientiæ participantur. Sicut enim *finis legis est Christus*, sic perfectio humilitatis est cognitio veritatis.

Quomodo quis peruenit ad humilitatem cognitionis, & de humilitatis exhibitionis & affectionis. Cap. LXXIX.

Via ad humilitatem cognitionis...

Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Ut autem quis humilitate propria cognitionis apprehendere citius valeat, qua sine simulatione maximum peccatorem se cognoscat, triplici respectu sese frequenter exerceat. Primum respectum sub quodam compendio dirigat ad enormitatem & multitudinem peccatorum suorum: deinde ad detestabilem ingratitudinem receptæ gratiæ, qua facillime peccatis resistere potuisset: quoniam apud Deum multum ponderatur oportunitas peccandi, facilitas resistendi, gratia concomitans, malitia inflammans, & similia. Secundum respectum dirigat ad cognoscendum sola gratia diuina, non propria resistentia vel industria se reseruat, ne cum multis in alia vitia maxima prolaberetur, subtractis etiam ex Dei misericordia multis occasionibus, opportunitatibus, diabolicis tentationibus, quibus plerique præuenti miserabiliter